



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 8. Misericordia Christi erga latronem in cruce.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

non vis esse misericordem. *Dominus patiens* Num. 14  
*est multa misericordia, auferens iniquitatem* 18.

& scelera, inquit Moyses. Quid quod neq;  
 se iustum esse ostendit, qui iustum Deum ac-  
 cusat; qui peccatoribus inuidet; qui deniq;  
 se iustum existimat, & tanquam iustum ia-  
 ctans ait: *Nunquam mandatum tuum pre-* Luc. 15. 29  
*terui. Nihil mihi conscius sum;* ait Apосто- 1. Cor. 4  
 lus, *sed non in hoc iustificatus sum.* Quid ergo 4.  
 alijs vult misericordiam inuidere, qui ea  
 ipse indiget? *Dicendum est,* ait S. Chryso-  
 stomus, *quod nullus sanctorum dolet in talibus,*  
*immo bona aliorum sua existimat.*

## §. VIII.

*Misericordia Christi erga latronem in cruce.*

Nostri igitur existimemus omnia eius-  
 modi bona, quæ, dum alijs à bono Deo ex-  
 hibentur, nostra fiunt charitate, nostra i-  
 mitatione; vt discamus, non desperare, e-  
 tiam si in peccatis consenuerimus. Hinc in  
 quintum exemplum, Latro ille manifesta-  
 rius iam iam acturus erat, in patibulo, ani-  
 mam, & vix agere cæperat pœnitentiam,  
 pauca illa pronuncians: *Domine memento* Luc. 23.  
*mei, cum veneris in regnum tuum,* cum sta- 42.  
 tim à mitissimo IESV audiuit: *Amen dico ti-*  
*bi, hodie mecum eris in Paradiso.* Petiuerat il-

le, non vt statim, sed vt, cum in suum regnum veniret, recordaretur sui, respondit, Christus: *Hodie mecum eris in Paradiso.* adeò pronus est ad dandum, vt citiùs det, quàm petatur. Et vide cui det? homicidæ, latroni, illi ipsi, qui paulo priùs Christo in cruce pendenti, ipse etiam pendens ac desperatè propemodùm petulans conuitiatus erat.

S. Ambrosius in c. 23. Luc.

Ita enim loquitur S. Ambrosius: *Mattheus & Marcus duos conuitiantes inducunt latrones, Lucas unum conuitiantem, & unum reprehendentem. Fortasse & iste priùs conuitiatus est, sed repentinè conuersus. Pulcherrimum autem datur affectanda conuersionis exemplum.*

O DEVS, quàm promptus es ad ignoscendùm! quàm tardi nos ad veniam à te flagitandam! & tamen ignoscis illi linguæ veniam petenti, quæ, eodem penè momento, te sacrilegè lacerauit? Quis hanc bonitatem tantam potest comprehendere, nisi qui te credit infinite bonum? Credens autem, quis desperet, si in cruce latro saluatus est: antè paululum homicida, post paululum accusatus, conuictus, damnatus, suspensus & liberatus. Noli mirari, ubi damnatus, sed ubi liberatus, ubi mutatus. Hæc pius

S. Augustinus. serm. 37. in Ioan.

Afer.

§. IX.